

arengo et publicationibus sententiarum et absolutionum et condemnationum et examinationibus eorundem, etiam sub pena libr. quinquaginta par., et semel in suo officio facere monstram balstrarum consiliariorum maioris consilii et fraternitatum Tergesti.

5

Cap. IIII. Rubrica de electione potestatis de Carsis.

Ordinamus quod, si captum fuerit in maiori consilio civitatis Tergesti de accipiendo potestatem de Carsis, quod dominus comes de Goritia solus eligatur, habendo suum vicarium secundum modum et usum ultime potestarie, qui talis est: videlicet quod electo et firmato domino comite predicto in potestatem Tergesti, mittantur ambasciatores comunis Tergesti ad presentandum sibi potestariam predictam, ut aliis potestatibus presentatur, quam potestariam si acceptaverit et personaliter ad dictam potestariam venire noluerit, tunc mittantur duo syndici cum uno notario ad inveniendum unum bonum et sufficientem vicarium iuris peritum pro medio anno futuro ipsius potestarie, et secum pepigere melius ut poterunt super salario predicti domini potestatis usque ad dictam summam et ab inde inferius. ¶ Et si pepigerint in minori summa, quod superfluum dicti salarii potestatis dicto domino comiti dari debeat. // ¶ Qui quidem vicarius sic inventus venire debeat ad regimen civitatis Tergesti ad terminum promissum dictis sindicis, sub pena mille libr. par. comuni Tergesti persolvenda, quam penam comune Tergesti exigere teneatur, et mittere syndicum comunis ad eam exigendum. ¶ Et quod talis vicarius petere non possit aliquam gratiam alicuius elongationis termini ultra terminum promissum, et quod de predicta gratia petita nulla possit fieri preposita in aliquo consilio, sub pena centum libr. par. pro potestate et quinquaginta pro iudice et sacramento. ¶ Et si non veniret ad terminum promissum, quod, transactis octo diebus post dictum terminum, mitti debeat pro comune Tergesti syndicos ad inveniendum alium vicarium. ¶ Et quicumque fuerit vicarius loco domini

10

15

20

19 A

25

30

35